



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. A justitia vindicatiua, cuius opus est etiam bellum, metum incuti
peccatoribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

indulsi, ea qua voluntati & affectui sunt aduersa sustinere cogatur; & qui subduxit se gubernationi misericordia, incidat in seueritatem iustitiae?

Hæc diuinæ iustitiæ vindicta probè agnita multùm potest in mortalium pectoribus. Nam inprimis ad bonum eos impellit, dum mundi Monarcham peccatoribus terribilem esse ostendit: *Venete, & reddite Domino Deo vestro, omnes, qui in circuitu eius offertis munera. Terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum, terribili apud reges terra.* Deinde à malo vehementer absterret: *Deus index iustus, fortis, & patiens, numquid irascetur per singulos dies? Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tendit, & parauit illum.* Innotescet autem hæc iustitia maximè quidem in altera vita, sed serò, & iam sine fructu puniendorum. In hac autem vita, per fidem, & Scripturæ testimonia, idcirco indicatur, vt nos moneat, faciatque cautiore. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij.* Sed ita sunt non pauci hebetes, vt futura, & velut à nobis longè absentia non apprehendant, præsentiaque & ante oculos versantia magis curent. Itaque vt etiam illis succurreret diuina clementia, iustitiam suam vindicatricem, saepe quoque in hoc mundo patefacit, & scelera plectit: vt sic diuinæ misericordiæ, ita etiam pariter iustitiæ magnitudo ex operibus cogoscatur. Causa enim ex effectibus, & virtus ex functionibus suis, deprehenditur. Cùm ergo plurima sint iustitiæ diuinæ vindicantis opera, inter ea non minimum est bellum. *Ego Ila. 45. Dominus, & non est alter, ait, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* Adeò nimirum bellum est hominibus malum paci oppositum, vt per malum absolutè intelligatur. Quia igitur omnis afflictio, quæ nobis obuenit, est à Deo peccata nostra castigante, bella quoque opus diuinæ iustitiæ esse necesse est. Quid conqueri possumus, si patimur, quod meriti sumus? immò si minus patimur? Nam mille gehennas promeruissemus, & Deus nostri amans, bello nos castigat, vt resipiscentes gehennam euadamus.

Est quidem nunc tempus misericordiæ, eritque præcipuè, in altero sæculo, iustitiæ tempus ostendendæ, quando Dominus red-

I V.

Psal. 75. 32;

Psal. 7. 12,

Matth. 12. 36.

Ila. 45.

V.